Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31304
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

68

secum alium iuvenem nichominus christianum. Qui cum ibi demo-
rarentur, contigit ut in quendam locum spatiandi causa soli pervagaren-
tur. Cumque devenissent in secretiori cuiusdam loci amenitatem, repererunt ibi
quoddam simulacrum enorme, intrinsecus ligneum, extrinsecus pice
linitum, veluti truncus ad stipitem arboris erectum. Illuc gentiles
secretius adoraturi aut etiam immolaturi de villa proxima veniebant,
qui circa nefandi numinis obsequium sese devotiores immo demen-
tiores exhibebant. Succensi itaque fidei zelo christiani iuvenes ex-
ecrabilem statuam in frusta comminuunt et protinus igne suppo-
sito in favillam ac cinerem redegerunt. Quo facto fugam arripu-
ere maturius, ne forte a phanaticis cultoribus deprehensi pena sui
punirentur. Neque enim adhuc tante erant constantie, ut hoc ausi fu-
issent in propatulo facere. Nocte vero sequenti cum futurus ille fonti-
neti [illegible] sopori membra dedisset, apparuit illi species illa noti fere
instar ydoli concremati pice et nigra. Et proiciens in oculos eius cali-
dos cineres quos manibus preferebat, dixit ad eum: Ecce tu he-
ri combussisti me, et ego comburam te hodie. Evigilans vero iuvenis
dolorem et cruciatum magnum in oculis sensit, qui et longo post
tempore graviter eum afflixit. De iuso qui vidit an̄ ɔuisionem.

Vir venerabilis Hainricus [Quomodo] dyabolus ydolatris se ostendit in sce-
quondam monachus Clarevallensis et nunc mate regio.
iam primos abbatizans in regione Danensi, de quodam honesto monasterii sui converso aliquid tale nobis significavit. Post-